DISSERTATIO HISTORICA

DE

ITERATIS IMPERATORVM CORONATIONIBVS GERMANICIS

QVAM

PRO LOCO

IN AMPLISSIMA FACVLTATE PHILOSOPHICA

BENEVOLE SIBI DATO

MORE MAIORVM OCCVPANDO

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

PLACIDÆ DISSENTIENTIVM DISQVISITIONI

SVBIICIET

PRÆSES

M. ELIAS GOTTLIEB DIETERICH

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VLMENSIS

RESPONDENTE

ANDREA CHRISTOPHORO GRAF

AVGVSTANO

P. L. C. PHIL. CAND. ET S. THEOL. CVLT.

AD DIEM VII FEBR. MDCCXXVII

IN AVDITORIO MAIORI

H. C.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO

DE

ITERATIS IMPERATORVM CORONATIONIBVS GERMANICIS.

§. I.

Coronationis vox, ut in ipſo ſtatim limine, qua de re praeciſe ſermo nobis ſit, indicemus, actum inaugurationis ſolennioris nobis aliisque denotat, quo Princeps, ad Imperium antea electus, certis quibusdam ceremoniis publice & ſolenniter, ex more, coronatur, vngitur, acceptaque conſecratione & depoſitis juramentis, peractis denique ſolennibus aliis quamplurimis, Imperator denuo publice declaratur. Longe plura ergo vox iſta plerumque comprehendit, quam ſtrictior ejus ſignificatus prae ſe fert, utpote qui coronae ſaltem impoſitionem, & ita vnicum modo totius inaugurationis actum, indicat, primarium tamen, a quo deinceps ceteri etiam, ſimul connotandi, nomen ſortiti ſunt. Ordinarius vero hic eſt quem deſcripſimus Reges coronandi mos, & olim & noſtris inprimis temporibus vſitatus, qui tamen non impedit, quomi- Coronatio deſcripta.

nus interdum mutatio quaedam locum habere potuerit, ita vt, omiſſa vnctione, ſola coronatione, ſtricte ſic dicta, abſolui actus inaugurationis nonnunquam, ſed rariſſime, conſueuerit, ſalua manente inaugurationis validitate: prout exempla inferius producenda docent. Hanc etiam ob cauſam coronationis vox a nobis fuit adhibita, vtpote quae & ordinariam, & hanc, de qua modo diximus, extraordinariam quaſi inaugurationem deſignat.

§. II.

antiquitus vix adhibita,

Antiquiſſimus eſt Reges atque Principes inaugurandi mos, & ab ipſis imperiorum initiis deducendus, diuerſus tamen, pro diuerſis populorum conſuetudinibus, & quo antiquior, eo etiam ſimplicior, ac vnico plerumque actu, aut pauciſſimis, abſoluendus. Sic vnctionem aliquam jam circa initium Regni Iſraëlitici in vſu fuiſſe ipſorum Regibus pariter atque Gentilium, exemplis Dauidis, Salomonis, Jehu, Haſaëlis, Cyri, condocemur: Utrum vero in iſto inaugurationis actu coronati ſimul fuerint, haud ſine ratione dubitamus, & pene negamus; nihil ſane hac de coronatione commemoratum legimus. Coronas quidem, easque aureas geſtaſſe Reges Iſraëliticos Ethnicosque, ex hiſtoria deuictorum Ammonitarum, quam 1. Chron. XXI. deſcriptam reperimus, quodammodo patet, licet dubium adhuc ſit, vtrum Regis Ammonitarum, an vero idoli, Malcom dicti, fuerit corona iſta, ponderis longe grauioris, quam vt geſtari ab homine potuerit. Poſſent & alia Scripturae & Hiſtoricorum loca pro confirmatione hujus rei adduci; ſed nolumus nunc ea cumulare. Illud tamen, velut in tranſitu & tribus ſaltem verbis obſeruamus, vocabulum ebraeum נֵזֶר in Scriptura nunquam coronam, ſed tantum monile quoddam, illuſtrioris dignitatis, & ſummi inprimis

mis Sacerdotis, inſigne fuiſſe. Quamuis ergo geſtaſſe coronas iſtius temporis Reges, concedamus, nondum tamen pro adſtruenda coronatione, in ipſo inaugurationis actu adhibita, ſatis firmum inde peti poteſt argumentum.

§. III.

Succeſſu deinde temporis a Regibus quidem Perſarum diu coronas uſurpatas fuiſſe legimus, ceteri autem Aſiae & Africae Reges loco coronarum diademata, id eſt, faſcias aut mitras ex ſerico, lino, & ſimili materia factas, majeſtatis inſigne adhibuerunt, cujus ligamentum primaria fuit inaugurationis actio. Hinc *Vologeſes Parthiae Rex, fratrem ſuum Teridatem Armeniae Regem conſtituens, diademate caput euinxit*, ut loquitur TACITVS ANNAL. *L. XV.* & Syphax, Africae Rex, Scipionem conuiuam ornatu regio accipiens, inprimis obtinente diadematum vſu,

Induitur chlamydem, regnique inſigne vetuſti
Geſtat laeua decus; cinguntur tempora vitta
albente - -

ut habet SILIVS ITALICVS *L. XVI.* Hunc vero morem priſcis etiam Romanorum Regibus uſitatum fuiſſe, affirmare non audemus, ſed potius coronas aureas illos geſtaſſe credimus DIONYSIO HALICARN., qui *Antiq. L. III.* inter Tarquinii Priſci inſignia coronam quoque auream recenſet, cum dicit: *ad vltimum vsque diem vitae & coronam tulit, & veſte indutus eſt purpurea - - - Hicque mos etiam ceteris poſt eum Regiam dignitatem habentibus, & poſt ejectionem ejus annuis permanſit Magiſtratibus, praeter coronam & veſtem pictam.* Patet exinde coronis Reges Romanos iſtius aeui vſos fuiſſe; vtrum autem in ipſa inauguratione illas acceperint, nondum adeo liquet. conf. SELDENVS *de Tit. Honor.* & BECMANN *in not. Dign. illuſtr.* paſſim.

Digitized by Google

§. IV.

Sed ab Imperatoribus CPLtanis primum accepta.

In ceteris Europae Regnis antiquiſſimis itidem temporibus inauguratio locum habuit: coronatio tamen atque vnctio ſimul in inaugurationis ritu adhibitae & a Patriarcha, aut ſummo Sacrorum Antiſtite, peractæ vix ſunt ante tempora Juſtiniani aut Juſtini junioris, Impp. CPL. Non deſunt quidem exempla priorum Imperatorum vel a militibus, vel ab Imperatoribus ipſis coronatorum: iſtiusmodi autem coronatio, conjuncta cum vnctione, & a Patriarcha facta, non reperitur ante Sec. VI. & dicta tempora Juſtini junioris. Paulo poſt ab aliis etiam Europae Regibus iidem coronationis & vnctionis ritus, ſuaſu, vt videtur, clericorum, & Pontificis Romani inprimis, cujus dominatum hoc modo ſtabiliri poſſe facile praeuiderunt, in ipſorum inaugurationibus adhibiti ſunt, paucis hinc inde additis mutatisue.

§. V.

& poſtea ad Germanos translata,

Germani olim Principem electum ſcuto impoſuerunt, eleuatoque acclamauerunt. Poſtea vero eosdem, de quibus modo diximus, ritus imitati ſunt eorum poſteri, Franci nempe: quo vero praeciſe tempore factum id ab illis ſit, inter hiſtoricos non conuenit. Quidam enim inde a Chlodouaeo, primo apud illos Rege Chriſtiano, vnctionis ritum adhibitum fuiſſe dicunt; ſed ſine ullo fundamento: quae enim de ejus vnctione auctores fide digni perhibent, intelligenda tantum ſunt de vnctione baptismali, non inaugurali. Alii contra cum familia Carolingica ritus iſtos initium ſumſiſſe perhibent, coronationemque Caroli M. Romanam, a Leone Papa factam, primam fuiſſe putant, a Francorum Regibus acceptam. Nos litem hanc noſtram non facimus, ſed hoc ſaltem nunc addimus,

dimus, inde a Caroli M. coronatione Romana, ritum iſtum perpetuo obſeruatum, omnesque ejus ſucceſſores eodem fere modo coronatos fuiſſe, niſi quod Carolus M. filium ſuum Ludouicum coronam capiti ſuo imponere iuſſerit, hicque rurſus filium ſuum Lotharium propriis manibus coronauerit, ut habet THEGANUS *in vita Ludov. Pii C. VI.* & Henricus Auceps vnctionem conſtanter ab Epiſcopo accipere renuerit, poſtquam corona imperiali jam a Principibus erat coronatus ut teſtatur DITMARUS *L. 1. p. 325.* inquiens: EBERHARDUS *populusque primarius - - - concione in* FRITESLARI *celeriter poſita,* HENRICUM *coronauerunt - - - - Epiſcopalis vnctionem benedictionis a* HERIGERO *Archi-Epiſcopo exhibitam, anteceſſorum more priorum non deſiderauit, nec ſuſcipere voluit, ſed prorſus ſe ad hoc indignum affirmauit.* Simulatam autem eſſe hanc HENRICI humilitatem, ipſumque hoc modo ſuperbiam clericorum & Pontificis coërcere quodammodo voluiſſe, jam dudum obſeruarunt viri docti. *cf.* D. SPENER *in J. P. L. IV. c. 3. §. 1.*

§. VI.

Sacrum eſſe hunc coronationis actum, dudum crediderunt clerici, omnibusque id perſuadere voluerunt: quod eatenus etiam concedi illis poteſt, quatenus inauguratio conſideratur vt actus in templo, a ſummo ſacrorum Antiſtite, certis quibusdam precibus peragendus. Si vero neglectis hisce ritibus a Laicis, ſine addita vnctione, imponatur corona, non putamus vocem illam, niſi in ſenſu alieno, adhiberi poſſe: cujusmodi exempla occurrunt in Alberto I Ludouico IV aliisque; quorum prior *impoſita ſibi Regni corona & gladium tenens in manibus dicebat: quid ergo ſi Papa mihi coronam denegat? Electione Principum &* Sacra quodammodo eſt.

Rex

Rex ſum, & Imperator, ut loquitur Trithem. *chron. Hirſaug. ad A. 1299:* alter vero, Ludouicus, *Romam veniens, a Romano clero & populo gaudenter exceptus, ac ex parte totius Romani populi, per ſenatores, præfectum urbis, & cancellarium Populi Romani, omnibus nobilibus acclamantibus, in Eccleſia S. Petri, cum ipſa conjuge, Imperiali exſtitit diademade inſignitus*: verba haec ſunt Albert. Argent. *p. 124.*

& neceſſaria Quin immo non tantum ſacra, ſed & maxime neceſſaria jam olim habita fuit Imperatorum coronatio Epiſcopalis, ita ut fictis etiam apparitionibus ſanctorum neceſſitatem illam demonſtratam dare voluerint clerici tempore Henrici I. quae vid. in Ditmaro, loco ſupra cit. Agnoſcimus & noſmet ipſi coronationis neceſſitatem, non quidem abſolutam, ſed tantum accidentalem, & partim ex obſervantia Imperii perpetua, partim etiam, & hodie inprimis, ex capitulatione deriuandam. cf. *capitul.* glorioſ. Caroli VI. *Art. III.* Josephi & Leopoldi *Art. XXXVI. XXXVII.*

§. VII.

atque proinde per ſe non iterabliis. Hoc ipſo autem, dum coronationem, de qua agimus, nihil aliud quam ritum inaugurationis eſſe dicimus, ſemel tantum, & ſub initium imperii peragi illum communiter ſolere innuimus, idque & olim obſeruatum eſſe, & hodienum obtinere, omnes nouimus. Docet id & ipſa inaugurationis vox, quae in genere ſumta, actum, quo quis in munus aliquod immittitur, certisque ceremoniis pro tali publice declaratur, deſignat. Immiſſus ergo & publice declaratus non opus habet noua immiſſione & declaratione, ſi quidem cetera rite, nemineque contradicente, facta ſint, ut paulo inferius pluribus demonſtrabitur. Quamuis autem in Imperio noſtro non demum a

die

Digitized by Google

die coronationis munus iſtud, ſummum ſuſcipiat Imperator, ſed ſtatim poſt acceptam capitulationem præſtitumque ad illam juramentum, imperium exerceat, illudque adeo non a coronatione, ſed ab electione pendeat, uti non modo in recentiſſimis exemplis obſeruare licet, ſed etiam nonnullos, v. gr. Sigismundum, Fridericum III. tertio demum quartoue poſt electionem anno coronatos eſſe conſtat ex M. CHRON. BELG. *p. 356. 376*, qui vero jam ante iſtam coronationem ad gubernacula Imperii ſederunt: ordinarie tamen ſub auſpicium Imperii ſuſcipitur, & nonniſi ob alias praegnantiores cauſas differtur nonnunquam. Quodſi porro actum coronationis, & vnctionis inprimis ut ſacrum, & a ceteris in Eccleſia Romana vſitatis vnctionibus catechumenorum, clericorum, aegrotorum, nequaquam iterandis, parum recedentem conſideramus, eo clarius patet, ejusdem repetitionem locum habere non poſſe.

§. VIII.

Quicquid autem hujus ſit, non deſunt tamen exempla Imperatorum ſaepius coronatorum & vnctorum. Notiſſima eſt triplex iſta coronatio, Germanica nempe, Aquisgrani, ut plurimum, Longobardica, in aliqua iſtius Regni urbe, Mediolani ſcilicet vel Modoetiæ aut Ticini, & Romana, Romae de jure peragenda. Olim etiam non ſine vrgentibus cauſis neglectae ſunt coronationes, Italica & Romana; hodie vero non amplius neceſſariae videntur, & hinc negliguntur, retenta ſaltem germanica, qua ſimul ut Rex Germaniæ, Rex Longobardiae & Imperator Romanus inauguratur Princeps ab Electoribus antea electus. Quemadmodum vero triplex iſta coronatio non vnum, ſed tria diuerſa regna reſpiciebat, Germanicum, Italicum

Iteratas tamen repetimus.

Digitized by Google

atque Romanum, ſub vnius tamen regimine comprehenſa; ita vnumquodque iſtorum Regnorum propriam quoque Regis ſui inaugurationem jure poſtulare videbatur, vt reuera non iterata ſit eadem coronatio, ſed plures & diuerſae cumulatae. Majori ergo jure huc referri poſſent Imperatorum exempla extra Germaniam eadem corona ſaepius inauguratorum, Friderici I. nempe, bis in Italia coronati, Ticini primo, deinde Modoetiae; & Henrici V. qui Romae bis eandem coronam accepit. De his autem coronationibus nunc agere animus nobis non eſt. Placet potius perluſtrare iteratas Imperatorum coronationes germanicas, in Germania, a Principibus Germaniae, & corona etiam Germanica factas, vti ſtatim in rubro indicauimus: Cumque ſemel tantum peractam coronationem ſufficere, eamque non iterabilem eſſe, paulo ante docuerimus, exempla huic theſi contraria, quae in hiſtoria germanica occurrunt, nunc paulo ſolicitius examinare, quidque hac de re hiſtorici tradant exponere non tantum, ſed & in cauſas iteratarum coronationum inquirere conſtitum nobis eſt, praeſertim cum nemo, quod ſciamus, materiam hanc ex inſtituto pertractauerit, quae tamen non nullius momenti eſſe videtur.

etiam in Germania:

§. IX.

cujus rei cauſa,

Rationes itaque cur nonnulli Imperatores eandem coronationem bis acceperint, praegnantes ſatis fuiſſe, quiuis facile intelligit: cumque non in vno aliquo facta ſit illa iteratio, non vnam etiam ejusdem cauſam extitiſſe, haud difficulter credi poteſt. Nihilominus tamen ad generalem aliquam cauſam omnes reducuntur, defectum nimirum in coronatione obſeruatum. Ex quo enim tempore inauguratio Imperatorum Germanicorum certis quibusdam legibus

gibus & obſeruantia firmatis ceremoniis, coronatione nimirum & vnctione, in certo loco, a certo Epiſcopo, praeſentibus aut conſentientibus quorum erat eligere Imperatorem, peragendis, fieri conſueuit, adeo accurata earum conſuetudinum obſeruatio nonnunquam requiſita fuit, ut defectu quodam occurrente, ab aduerſa parte totus actus pro nullo habitus, ac idcirco, ſi Rex ab omnibus agnoſci voluit in defectu coronatus, iterari inauguratio, defectusque tolli debuerit. Equidem non neſcio praecipue ab electione pendere judicium, vtrum legitime vel vitio creatus quis fuerit; quam electionem etiam coronatio ſequitur. Aſt cum non deſint exempla coronationum iteratarum, paulo inferius recenſendarum, vbi & electio, & coronatio ipſa, inque hac obſeruati defectus notati, & horum intuitu inprimis iteratio inſtituta fuit, omnino etiam coronationem, ejusque defectum, cauſam iteratarum coronationum praebere potuiſſe, palam eſt; cum tantae inprimis neceſſitatis eſſe coronationem crediderint tunc temporis fere omnes.

§. X.

Notauerunt autem hunc, de quo modo diximus, defectum & ea propter lites mouerunt vel Pontifex, vel Principes quidam in Imperio, iique vel ſeculares vel Eccleſiaſtici: omnes vero vel in perſona coronati, vel in loco coronationis, vel in conſecrante, vel denique in Principibus coronationem approbantibus, defectum iſtum deprehendiſſe putarunt. Pontificis quidem in electione & coronatione germanica partes de jure fuerunt nullae; nouimus autem praecipue in ſeculis ignorantiæ Papam Romanum multa & affectaſſe, & exercuiſſe jura in Imperio, atque primariam fere iſtius temporis cauſam electionis extitiſſe,

a diuerſis diuerſimode notata,

 ſine-

Digitized by Google

ſine cujus præſcitu & conſenſu non facile quis Imperio Germanico potitus fuit. Et hinc nemo mirabitur, ſi etiam in coronationibus ſuam oſtendere auctoritatem totus allaborauit. Majori vero jure Principes Jmperii audiendi erant, utpote ad quos pertinebat Imperatorem eligere & electi coronationi adeſſe. Papa itaque ſi ipſum audire renuerunt Proceres, nonnullos ex eorum numero in ſuas pertraxit partes, & ſic, ſi non directe & immediate, mediantibus tamen iſtis Principibus & Epiſcopis inprimis, pro lubitu hac in re agere potuit. Et hinc etiam ex exemplis, paulo inferius producendis, patebit, utplurimum partes Pontificis Romani in iteratis electionibus & coronationibus primas fuiſſe.

§. XI.

reperta eſt vel in çoronato,

Defectum autem coronationis, uti diximus, primo quaeſiuerunt in perſona coronati, quando nempe a Papa excommunicatum, aut ipſi exoſum, legitime aut eligi aut coronari poſſe negarunt: id quod in Philippo Sueuo deinceps obſeruabimus. Fluit hoc ex doctrina & credulitate iſtius aeui, qua excommunicatus non tantum ab Eccleſia & omnibus beneficiis Eccleſiaſticis excluſus, ſed & omnes ejus ſubditi a vinculo, quo ipſi antea obſtricti fuerant, liberi, ipſeque ad exercendum aliquod munus plane inhabilis declaratus fuit: tantum abeſt ut ſummis in Imperio rebus praeeſſe, aut vnctionem, in coronatione adhiberi ſolitam, accipere potuerit. Quamuis ergo illas Pontificum excommunicationes injuſtas utplurimum & ultra modum extenſas agnoſcamus, non tamen diffiteri poſſumus, ſtante iſta de Pontificis auctoritate & excommunicationis virtute ſententia, repetitionem electionis & coronationis ſi non omnino neceſſariam, temporibus tamen & doctrinae illius aeui ſatis conuenientem fuiſſe.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Locum etiam Coronationis nonnunquam, & iſto inprimis aeuo, adeo accurate obſeruarunt Germani, ut ejus neglectum etiam inter vitia & defectus coronationis non poſtremos retulerint, & hac quoque de cauſa coronationem pro nulla declarauerint. Notandum autem hic eſt, nunquam fere propter ſolam hancce cauſam iteratas eſſe coronationes germanicas, ſed ſemper aliis conjunctam, & fere nonniſi a Pontifice Romano & Archi-Epiſcopo Colonienſi productam atque pro neceſſaria venditatam fuiſſe. Interim tamen habet omnino cauſa haecce fundamentum non plane ſpernendum. Conſtat enim ex hiſtoria, Carolum Aquisgrani ſedem regalem conſtituiſſe, & inde ab Ottonum tempore omnes eorum in Regno ſucceſſores in hoc ipſo loco coronatos fuiſſe, exceptis Henrico Aucupe, Henrico II. Conrado II. & Philippo Sueuo, qui tamen poſtea vel noua coronatione Aquisgrani inaugurati ſunt, vel ſolenni modo alio thronum iſtum occupauerunt: de quo paulo inferius plura. Immo non tantum obſeruantia, ſed expreſſa quoque lege ciuitas iſta coronationi deſtinata eſt. Proſtat enim Diploma Coroli magni, in quo praecipitur: *ut in templo eodem* (Aquisgrani) *ſedes regia collocaretur, & locus regalis & caput Galliae trans Alpes haberetur, ac in ipſa ſede Reges, ſucceſſores & heredes regni initiarentur. ap.* Aub. Miraeum *in faſt. Belg. & Burg. p. 54.* Et licet ſuppoſititium agnitum ſit diploma iſtud, a Schurzfleisch, *Diſp. VI. §. 30*, teſtatur tamen de reuerentia communi, iſtis temporibus loco huic exhibita. Cumque modo dictum Diploma jam a Friderico I. ſit confirmatum, majori etiam jure Aquenſes, & ceteri quoque, ad id prouocare potuerunt. Unde factum quoque eſt ut in ipſa A. B. idem locus coro- vel in loco coronationis,

Digitized by Google

nationi Germanicae deſtinatus fuerit, diuque mos iſte obtinuerit, donec tandem a tempore Maximiliani II, propter legitima impedimenta, alibi etiam locorum peragi coepit: ita tamen, ut ſemper Aquenſes jura ſua ſibi reſeruarint. conf. viros illuſtres Gvndling. *in Gundlingianis P. XIIX. n. 2. p. 230.* Lvdewig *ad A. B. p. 949.* Spener *in J. P. L. IV. c. III. §. III. not. c. d. e.* Patet ergo non fruſtra ad locum coronationis prouocatum eſſe in coronationibus Henrici II, Conradi II, Philippi Sueui & Friderici II. alibi quam Aquisgrani ſuſceptis, licet juſtas habuerint cauſas, quod ex dicendis clarius patebit.

§. XIII.

vel in conſecrante,

Alia nunc ſuccedit cauſa iteratarum in Germania coronationum, defectus nimirum in conſecrante obſeruatus. Non tantum omnia Epiſcopi aut Archi-Epiſcopi requiſita poſſidere illum oportebat, qui fungi iſto officio voluit, per leges Eccleſiae Catholicae: Sed ad certum etiam Germaniae Praeſulem, AEpiſcopum nempe Colonienſem, officium iſtud coronandi, aut potius vngendi & conſecrandi Regem Germanorum pertinuit. Equidem non neſcio ſuperiori inprimis ſeculo multos eruditione claros inque hiſtoria verſatiſſimos viros, & inter hos praecipue Herm. Conringivm, contra hanc aſſertionem ejusque defenſores acerrime pugnaſſe, hodieque ſupereſſe non paucos, qui Moguntino Archi-Epiſcopo illud competere affirmant. Neque tamen etiam ignoro magni nominis Hiſtoricos, & ſuperioris & noſtri praeſertim ſeculi, indubitatis fere rationibus Colonienſis jura defendiſſe; e quorum numero nunc saepius laudatos Gvndling. *in Gundlingianis P. XVII. XIIX,* & Spener *J. P. L. IV. c. III. §. IV.* allegaſſe ſufficiat; diutius autem hiſce inſiſtere non licet. Illuſtre tamen

men hujus rei teſtimonium OTTONIS FRISING. *L. VII. Chron. c. 22.* producere placet, qui de Conrado III. Imp. haec refert: *mox ad palatium Aquis veniens, a praedicto Cardinale, nam Colonienſis, qui id facere jure debuerat, nouiter inthroniſatus pallio carebat - - - in Regem vngitur.* Cui jungendus GVNTHER. *Ligur. L. I. p. 289. 290.* inquiens:

Impoſuit capiti geſtamina regia ſacro
Arnoldus, quo tunc paſtore Colonia diues
Gaudebat, quippe hunc veteres ſibi juris honorem
Vendicat ille locus. - - - - -

Hinc etiam Papa impugnaſſe & pro nulla agnouiſſe Philippi Sueui coronationem legitur in INNOCENT. III. *Ep. XXII.* ubi dicitur: *coronatus eſt non ubi debuit, nec per quem debuit.* Quae & alia plura ſatis clare indicant Colonienſi jus hoc vngendi Reges competiiſſe; id quod etiam in aurea B. haud obſcure eidem confertur. Cauſam vero iteratarum coronationum inde natam olim eſſe, paulo poſt docebimus in ipſis exemplis.

§. XIV.

Ultima ordine, reuera autem primaria, iteratarum Coronationum cauſa eſt defectus in ipſis Principibus, quorum erat Imperatorem eligere, & electum coronare, aut potius coronationi intereſſe obſeruatus. Primariam hanc cauſam diximus non tantum quia in omnibus, inferius recenſendis, exemplis deprehenditur aliis minoris momenti conjuncta, ſed & quia hujus inprimis intuitu repetitas fuiſſe coronationes credimus. Quodſi etiam coronationem ut actum inaugurationis conſideramus, abſtrahendo ab obſeruantia legibusque aliud ſuadentibus & praecipientibus, ſane parum referre videtur, utrum coronatio illa fiat Aquisgrani, an vero alibi; utrum a Colonienſi Archi-Epiſcopo, an vero

vel denique in Principibus ipſis.

vero ab alio, & laico etiam, perficiatur. Ut nunc nihil addam de Pontifice Romano, cujus alioqui in Imperio jura nulla plane ſunt, & quicquid hoc etiam in paſſu ſibi arrogauit, mera ſunt attentata. Hinc etiam nemo amplius dubitat, quin Henricus Auceps legitimis Germanorum regibus ſit annumerandus, licet neque Aquisgrani, neque a Colonienſi aut alio Epiſcopo ſit coronatus, vti ex teſtimonio Ditmari ſupra cit. patet: ſufficiebat ipſi Principum Germanicorum conſenſus, in electione & ſecuta coronatione ab ipſis facta, demonſtratus. Iſte vero conſenſus ſi deſit, parum certe refert utrum coronatus aliquis ſit Aquisgrani, & a Colonienſi, nec ne; prout videmus in Richardo Anglo, qui & ubi debuit, & a quo debuit eſt coronatus, neque tamen a pleriſque agnitus, & propterea etiam in catalogo legitimorum Imperatorum non reperiundus. Et ſic etiam infra occurrent exempla eorum, qui licet a Colonienſi & loco etiam ordinario, vnctionem acceperint, & Pontificis quoque fauorem experti ſint, tamen deficiente conſenſu plurimorum in Imperio Principum, denuo fuerunt inaugurati.

§. XV.

quod oſtenditur per exempla.

Vt vero, quae generatim hactenus de iteratis Imperatorum coronationibus germanicis dicta ſunt, confirmentur magis, totaque rerum facies eo clarius oculis noſtris ſeſe offerat, age perluſtremus ipſa iſtorum Imperatorum exempla, quidque hiſtoriarum monumenta de illis tradant inſpiciamus. Tempore Carolingicorum Regnum Germaniae haereditario ſimilior, quam electitio erat, hinc neque Principum Imperii aemulatio, neque Epiſcoporum, quorum poteſtas tunc temporis tanta nondum fuit, machinationes locum inuenerunt, quae iteratas coronationes promouere

mouere poſſent. Extincta poſtmodum familia Carolingica in Germania, Conradus I. omnium conſenſum obtinuit, & nemine contradicente thronum occupauit, quemadmodum & Henricus Auceps, ejusque filius atque nepos Otto I. & Otto II partim pacato ſtatu, partim etiam viuo adhuc patre, electi & coronati ſunt. Otto III. item, puer adhuc, viuo patre electus & coronatus fuit, ſed patre ejus mox decedente, Henricum Bauariae Ducem, cum nonnullis aliis, ſibi aduerſum eſt expertus, qui Quedlinburgi Rex quidem proclamatus, paulo vero poſt ad officium & obſequium redactus fuit: ut adeo noua electione & coronatione opus minime fuerit. Sed qui hunc Ottonem III. excepit Henricus II, ſanctus alioquin dictus, tot in initio Regni ſui expertus eſt Principum, de imperio cum ipſo certantium, motus, tantumque Epiſcoporum, & Colonienſis inprimis, odium, vt iteratis vicibus inaugurationem ſuſcipere neceſſe ipſi viſum fuerit. Henrici nempe Sancti,

§. XIV.

Scilicet poſt obitum Ottonis III. praematurum, A. MII. magna de ſucceſſore lis in Imperio exorta eſt, pluribus ad iſtud faſtigium adſpirantibus, Brunone nempe, Duce Saxoniae ad Weſeram, Hermanno Duce Sueuiae, Ekardo Marchione Miſniae & noſtro Henrico, Bauariae & Norici Duce. Henricus vi extorſerat inſignia Imperii Heriberto Archi - Epiſcopo Colonienſi, & ea propter maximam quidem ejus indignationem & auerſationem ſibi concitauit, eo ipſo tamen non ſpernendum cauſae ſuae praeſidium adeptus fuit. Quo fretus, & adjutus inprimis commendatione Ottonis, Ducis Carinthiae, cui omnium primo imperium fuerat delatum, quod vero, ſenectutem cauſatus, deprecatus erat, ceteros

 imperii

Digitized by Google

imperii aemulos aggreſſus eſt, & ita non ſimul omnium populorum conſenſum impetrauit, ſed primo in Werle a Bauaris & Francis electus, deinde Saxonum conſenſum obtinuit Merſeburgi, menſe Julio, porro a Lotharingicis, menſe Septembri, Aquisgrani receptus, & tandem etiam ab Alemannis, in oppido Bruchſal, prope Philipsburg, menſe octobri agnitus fuit. Quae pluribus tradunt Ditmarus *L. IV. p. 359. & L. V. in init.* Adelboldus *in vita Henrici c. 5. ap.* Leibn. *in ſcript. Brunſw. T. 1. p. 430.* Vita Meinwerci, *ibid. p. 521.* Sigeb. Gembl. *ad a. 1002.* Chronogr. Saxo, Gobelin. Persona, aliique plures.

ejusque coronationem primam.

Inde vero mirum nemini eſſe poteſt, ſi hisce rerum circumſtantiis ſaepius coronatus fuit Henricus, & quidem primo Moguntiae, a Willigiſo Archi-Episcopo, ſolis fere Bauaris ac Francis conſentientibus: qua de re Tangmarus *in vita Berwardi c. XXXIV. p. 457. ap. Leibn. l. c.* haec refert: *omnibus ergo, pari voto, in electione illius concordantibus, Willigiſus Archi-Epiſcopus, & B. Bernwardus cum ceteris Regni Principibus Dominum Henricum Moguntiam cum ſummo honore ducentes, Dominica octaua Pentecoſtes regimen & regiam poteſtatem, cum Dominica haſta illi tradiderunt; ac deinde omnibus rite peractis cum maximo tripudio uniuerſorum, ſolenniter cum DEI gratia vnxerunt.* Idem teſtatur Ditmarus *L. V. p. 367,* *Hic*, inquiens, *VIII. Id. Junii ibidem* (Moguntiae nempe) *communi deuotione in Regem electus, a Willigiſo ejusdem ſedis Archi-Episcopo, ſuffraganeorumque ſuimet auxilio, accepta regali vnctione, cunctis praeſentibus Deum collaudantibus, coronatur.* Confirmant hoc ipſum ſcriptores alii, & tantum non omnes, quos vero allegare nihil attinet, cum nemo ſit qui hac de re dubitet,

§. XVII.

§. XVII.

Poſt coronam itaque & vnctionem Moguntiae acceptam perrexit Henricus ad caeteros Germaniae populos ſibi ſubjiciendos, & Merseburgum veniens, a Principibus & Episcopis Saxoniae ſuſceptus, ac altera vice coronatus eſt, prout tradit Adelbold *in vita Henr. S. p. 433.* cum dicit: *Rex igitur non multis diebus in Francia moratus, in Turingiam iuit - - inde Rex procedens in Saxoniam, peruenit Merſeburg. Benno Dux Saxonum, Bilitzlaus Dux Sclauorum, Liebzo Archi-Episcopus Bremenſis - - ceteri Episcopi de Saxonia, & Comites plurimi in feſtiuitate S. Jacobi Regi occurrunt, acclamatum ſuſcipiunt, collaudant, collaudato manus ſinguli per ordinem reddunt, redditis manibus fidem ſuam per ſacramenta promittunt, fide promiſſa Regem coronant, coronatum in ſolio locant, locatum debita cum gratulatione venerantur.* Huic addimus teſtimonium aliud Ditmari *l. c. p. 368.* cujus verba haec ſunt *Inde Merſeburg veniens* (Henricus) *ſuſceptus eſt ab Heimone Abbate - - huc conueniunt Archi-Epiſcopi, Luitzo Bremenſis - - cum Ducibus Bernhardo & Bolizlao - - aliisque quam pluribus tam Episcopis quam comitibus, quorum nomina longum eſt enarrare per ſingula. Hi omnes Regem ſupplici deuotione ſuſcipiunt. Craſtina itaque die i. e. octauo Kal. Auguſti Bernhardus Dux cum conſenſu omnium aſtante, coram Rege voluntatem plebis conuenientis aperiens - - - - ac contra Rex referebat: DEO primum deindeque vobis condignas grates perſoluere nequaquam ſufficio. Unde voluntatis meæ ſecretum vobis aperio - - & vt certi de his ſitis, quomodo vobis placet ſaluo honore Regni affirmo, quia non renuentibus & contradicentibus vobis, ſed potius quaſi applaudentibus, & huc me inuitantibus hac regali dignitate honoratus compareo.* - - - - - -

secundam

Taliter effatur Rex, & vox vna leuatur,
Protinus aſtantis plebis Regi jubilantis,
Laudes & grates ſuper has tantas pietates.

Bernhardus igitur Dux accepta in manibus ſacra lancea ex parte omnium Regni curam illi fideliter committit. - - - Omnes qui priori Imperatori ſeruiuerant, Luidgero ſolo remanente, Regi manus complicant, fidele auxilium per ſacramenta confirmant. Locum hunc paulo longiorem priori ſubnectere eo minus dubitauimus, quo clariora ſolennis inaugurationis indicia ſuppeditat, eaque quae Adelboldus ſtilo, vt videri poterat, oratorio recenſet, confirmat. Quamuis enim vocem coronationis non expreſſe adhibeat, lanceae tamen traditio, ceteraeque circumſtantiae idem volunt, quod prior per coronae impoſitionem intellexerat. Unctionis quidem in neutro horum locorum fit mentio. Sed praeterquam quod voces, coronatio & vnctio, promiſcue adhibeantur a Scriptoribus; nihil etiam propterea ſententiae noſtrae decedit, etiamſi adhibita in hac ſolennitate non fuerit, quod tamen nondum liquet. Nobis enim de inauguratione potiſſimum ſermo eſt, ut ſtatim in limine indicauimus; quae vel ſola coronatione abſoluitur, vel addita ſimul vnctione peragitur.

§. XVIII.

tertiam.

Deuictis itaque & ſibi deuinctis Saxonum animis, Henricus ad Lotharingicos properauit, a quibus Aquisgrani Rex declaratus & tertia vice in Germania coronatus eſt. Offendit inter eos & Archi-Epiſcopum Colonienſem, Heribertum, qui tum propter ipſi extorta Regni inſignia, tum etiam propter coronam Moguntiae acceptam, Henrici hucusque maximus fuerat aduerſarius, de qua re teſtimonium Levoldi Northoffii *in Chron. Com. de Marka*

ad

ad a. MIII p.382. in Collect. Meibomii, tranſcribere non abs re erit; ita vero ille: *Praedicto*, inquit, *Ottone defuncto, Henricus - - - vngitur in Regem ab Archi-Epiſcopo Moguntino, Sancto Heriberto, Colonienſi Archi-Epiſcopo Eccleſiae Colonienſi tunc praeſidente, qui ipſum non coronauit, pro eo, quod idem dux in reuerſione de Italia ipſum offenderat, inſignia regalia poſt mortem Ottonis violenter de ejus manibus extorquendo, quem tamen idem Imperator poſtmodum feſtum Natalis Domini in Colonia celebrans humili ſatisfactione placat.* Hac ergo de cauſa Henricus & hujus & aliorum Lotharingicorum Principum fauorem & conſenſum impetraturus, Aquisgranum petiit, vbi noua ejus coronatio ſubſecuta eſt. Ita enim interpretamur verba ADELBOLDI, *in vita Henrici l. c. p. 433.* dicentis: *occurrit etiam (Henrico) Colonienſis Archi-Epiſcopus, ſed quanto ditior, tanto moroſius. Erat inſuper cauſa dilationis Moguntiae accepta corona benedictionis. Hi ſimul Regis efficiuntur, fidem promittunt, promiſſam Sacramento concludunt. Cum his Rex Aquisgrani perueniens, ceteris Lotharienſibus conuenientibus in natiuitate poſt partum virginis eligitur, collaudatur, in regiam ſedem extollitur, glorificatur.* Et DITMARVS *L. V. p. 369.* ſequentia refert: *Rex - ad Duisburg perueniens, Luitharienſes quam tarde expectat. Leodienſis vero & Cameracenſis primi huc venientes, Archi-Epiſcopum Colonienſem diu morantem expectant. - - Hi confratres Regem pariter eligentes, fidemque Sacramentis firmantes, vsque ad Aquisgrani eundem comitantur, quo in Natiuitate S. Mariae a Primatibus Luithariorum in Regem collaudatur, & in ſedem regiam, more Anteceſſorum ſuorum exaltatur & magnificatur.* Neque in hiſce locis expreſſa facta eſt mentio aut coronationis aut vnctionis; deſcriptio autem hujus ſolennitatis, & moris Anteceſſorum obſerua-

 tio,

tio, omnem tollit ſcrupulum: cui jungenda ſunt ea quae ſub finem praeced. §. dicta a nobis ſunt. Certiores nos hac de re reddit deſcriptio alia ejusdem Adelboldi *loc. cit. p. 434.* comparens, quâ Hermannum Ducem Alemanniae, ultimum aduerſariorum Henrici, in gratiam cum Rege rediiſſe, & vnà cum ſuis obſequio ejus ſe ſubjeciſſe tradit, quae hiſce paucis abſoluitur: *Herimannus in ſolennitate S. Remigii Bruſellae* (Bruchſal) *Regi obuiam venit - - pro male commiſſis veniam petit - - Ilico bene recipitur, & ei quod quaerebat cum omni humilitate conceditur. - - Hac conditione firmata, per manus & Sacramenta Regis efficitur.* Nulla hic commemoratio ſolennitatis, vt in ceteris, conſpicitur, quamuis aeque magnum Imperii Principem ſibi ſubjecerit Henricus, vnde longe plures circumſtantias ſolennemque inaugurationem in prioribus locum habuiſſe eo clarius patet. Triplicem ergo in Henrico deprehendimus coronationem, ex diſſenſu inprimis & contradictione Principum ortam, vbi tamen Colonienſis partes non poſtremas fuiſſe, eo minus dubitamus, quo magis teſtimonia, a nobis allegata, id luculenter ſatis condocent.

§. XIX.

Mortuo Henrico, Conradus II, ſalicus dictus, a pleriſque eſt electus, qui eandem fere fortunam ſub auſpicium Regni expertus eſt, aemulum nempe Imperii nactus Conradum juniorem, ſuum conſangvineum, cui Archi-Episcopus Colonienſis cum nonnullis aliis ſeſe junxerat, inprimis propter coronationem Moguntiae factam. *Cito tamen reuerſi ſunt* mododicti Principes, *ad gratiam Regis, propter eos, quos cammunis conditio mortis praeoccupauit, quicquid ipſe praeceperat gratanter accipere, & Archi-Epiſcopus Pilegrinus, quaſi pro emendatione prioris culpae, impetrabat*

trabat a Rege, ut ſibi liceret in Eccleſia Colonienſi Reginam conſecrare: verba haec ſunt WIPPONIS *in vita Conradi ſalici p. 427. T. I. Colleƈt. Piſtor:* ut adeo noua electio aut coronatio neceſſaria visa non fuerit. Et ſic etiam ſubſequentes Imperatores usque ad Philippum Sueuum non niſi ſemel, & ſub initium Imperii, inaugurati leguntur, utpote qui vel pacato rerum ſtatu imperium obtinuerunt, vel proſtratis mox ipſorum aemulis, ſine iterata coronatione iſtud occupaueruut. Philippus vero Sueuus, poſt obitum fratris Henrici Imperatoris a pleriſque electus & Moguntiae ſtatim coronatus, noua poſtmodum coronatione opus ſibi eſſe duxit. Scilicet Henricus VI jam ante obitum filium ſuum, Fridericum, ſucceſſorem declarari fecerat: verum ipſo non ita multo poſt decedente, filioque iſto tenerrima adhuc aetate exiſtente, plurimi Principes de alio eligendo conſilium inierant, inſtinctu inprimis Innocentii III. P. R. cui familia Sueuica maxime erat exoſa. Quamuis itaque Philippus, tutor Friderici & adminiſtrator Regni ab iis conſtitutus, qui adhuc a partibus Friderici ſteterant, omnia tentauerit, ut Regnum pupillo ſeruaret, facile tamen praeuidit hoc modo imperium obtineri non poſſe, & hinc ipſe ad illud adſpirauit, tractisque in ſuas partes pleriſque Germaniae populis, eorundemque Principibus, Moguntiae coronam Regni ab illis accepit. Haec teſtatur ARNOLDUS LUBEC. *chron. Sclauor. L. VI. c. II. p. 711. ap. Leibn: Inter haec*, inquiens, *Philippus, qui imperialia tenebat, fratri ſuccedere aspirabat, quem multorum copia iuuabat Saxonum, Francorum, Sueuorum, Bauororum, utpote qui omnia loca munita, ciuitates, caſtra tenebat; & cum ſola Colonia & pars quaedam Weſtfaliae Othoni faueret, totum robur Imperii Philippo adhaerebat. Coadunata igitur multitudine Praelatorum*

Philippi item coronationem priorem

rum & Principum de Saxonia, Franconia, Sueuia, Bauaria, Turingia apud Moguntiam, conſenſu & fauore omnium in Regem eſt electus, & a Domino Tarentino Archi-Episcopo (non Tarentinus is erat, ſed Tarentaſienſis in Sabaudia Archi-Episcopus, uti omnes reliqui Scriptores teſtantur) *conſenſu cleri, & conniuentia capituli majoris, ſine praeiudicio Dn. Conradi, qui, ut ſaepe dictum eſt, tunc aberat, cum magna ſolennitate Rex consecratur, & Romanorum Auguſtus ſalutatur.* De eadem coronatione loquitur etiam Auct. Gest. Innoc. III. §. *XXII. p. 6.* cum dicit: *Philippus fecit ſe inungi & coronari non Aquisgrani, ſed Moguntiae, nec a Coloniensi Archi-Episcopo, ſed a Tarantaſienſi, quia nullus Archi-Episcopus Teutoniae id facerē attentauit.* Coronatus ergo atque inunctus fuit Moguntiae Philippus prima uice, uti nemo amplius dubitat.

§. XX.

posterio-rem.

Hanc autem Philippi coronationem, Moguntiae factam, omnibus viribus impugnauit Pontifex Innocentius III, una cum Archi-Episcopo Colonienſi Adolfo; prior quidem ex odio internecino contra Philippum ejusque totam familiam concepto, alter vero inſtinctu Papae & propter coronam Moguntiae a Philippo acceptam, cujus impoſitionem ad ſe pertinere judicauit. His ergo potiſſimum auctoribus primo Dux Zaeringenſis contra Philippum electus, & hoc magna pecuniae vi, a Philippo victo, Otho Dux Brunswicenſis illi oppoſitus eſt. Sic enim Siffridus Presb. *ad a. 1198. Philippus Dux Sueuorum,* inquit, *frater Imperatoris Henrici, in Regem Romanum electus eſt. Cui ſe Papa Innocentius III. opposuit, quia frater ſuus Imperator Henricus contrarius fuerat Eccleſiae Romanae, ordinauitque Papa, ut Otho filius Ducis Saxoniae, Aquis-*

quisgrani coronaretur. Et ipſe Pontifex, cauſas, cur Philippus deſerendus ſit, Germanis exponens, haec profert: *opponebatur contra Philippum, quod nec ab eo qui potuit, nec ubi debuit, fuerit coronatus, cum Tarantaſienſis Archi-Epiſcopus extraneus, & ad quem id minime pertinet, euocatus, ei Regni praeſumſerit imponere diadema: in Epiſt. Innoc. n. XXI. p. 695.* Cum autem per aliquot annos de Imperio certasſent Philippus atque Otho, prior tandem, ope inprimis Wilhelmi, Comitis Juliacenſis, Adolfum, Coloniensem Archi-Episcopum, maximum hucusque ipſius in Imperio aduersarium, & vnicum fere Othonis fautorem, magnis praemiis, majoribusque promiſſis, ſibi reconciliauit, & paulo poſt Aquisgrani ab ipso alteram coronationem accepit. Qua de re Chron. Slau. *L. VII. c. 1.* haec habet: *Wilhelmus igitur Comes ipsum Archi-Episcopum & omnes nobiliores ita praeſtigiis ſuis circumuenit, ut omnes Othoni renuntiauerint. & in partem Philippi ſe inclinauerint. Quid plura? praeualente conſpiratione, Philippus Aquisgranum potenter adducitur, ab Adolpho Archi-Episcopo Rex conſecratur, & in ſedem imperialem collocatur.* Huic teſtimonio clariſſimo iungimus aliud, aeque clarum, *Annal.* Godofredi, Mon. *ad a. 1198. p. 275. ap. Freher*, quod hujus eſt tenoris: *Rex ergo Philippus, ut proposuerat, cum pluribus Regni Principibus Aquisgrani venit: vbi cum maximo apparatu Colonienſis ei occurrit. Ibi Rex conſilio cum ſuis habito, ut Principes ſuam liberam electionem, ſecundum ſedis antiquitatis inſtitutum non perdant, regium nomen & coronam deponit, & ut concorditer ab omnibus eligatur, precatur. Quod & factum eſt, & a Colonienſi Archi-Episcopo, cum Maria uxore ſua vngitur & conſecratur.* Denique non praetermittendus eſt, egregius Chron. Germ. locus *ap. Piſt. T. 1. p. 169.* praecipue cum expreſſa iterationis mentio ibi fiat: his vero vtitur verbis:

Philippi igitur rebus ſic ſe habentibus, fit Aquisgrani magnus Principum & ciuitatum conuentus, aderant etiam Duces Lotharingiae & Brabantiae - - - coronaturque in illis comitiis iterum Philippus, appellaturque Rex Romanorum & Imperator ſemper Auguſtus. Non eſt quod euidentiſſimis hisce teſtimoniis plura addamus, niſi quod tribus ſaltem verbis obſeruemus, omnes fere, ſuperius adductas, iteratarum coronationum cauſas in hoc vnico exemplo concurrere, easque proin eo majorem lucem accipere.

§. XXI.

nec non Othonis duplicem coronationem

Philippi aemulus & poſt violentam illius mortem legitimus ſucceſſor, Otho, Henrici Leonis filius, Dux Brunſwicenſis & Pictauienſis, diu quidem, ſed ſatis infeliciter, de Regno Germaniae, a Papa, Colonienſi, paucisque aliis ipſi deſtinato, cum Philippo certauit, ut dictum modo eſt; verum non niſi poſt obitum Philippi iſtud obtinuit. Et licet ſtatim poſt primam electionem Aquisgrani coronatus fuerit, deinceps tamen, ceteris etiam Germaniae Principibus eidem accedentibus, noua quadam electione & inauguratione opus habuit. De priore ejus coronatione Otto de S. Blasio haec habet: *Otto vero auxilio fretus Henrici Palatini fratris ſui & Colonienſium, impetus Philippi conſtanter ſuſtinuit, Archiſoliumque quod Aquisgrani eſt adeptus, a Colonienſi Episcopo, cooperante Treuirenſi, qui ad hoc ſpecialiter priuilegiati ſunt, in Regem vnctus, gloriabatur, ſe etiamſi non regalia, jura tamen & loca regalia retinere.* Godofredus paulo ante cit. p. 264. ita rem narrat: *Cum Otto Aquisgrani ad regiam ſedem conſecrandus properaret inuenit ſibi eam oppoſitam & militibus Philippi ſeptam. Expugnare ergo eam aggreſſus, multis expenſis & graui labore conſumto, tandem eam in deditionem accepit: & ingreſſus ab Adolfo Colonienſi Archi-Episcopo conſecratus inthroniſatur.* Quamuis ergo coronatus Otho fuerit a quo debuit & ubi debuit, & Pontificis

ficis inſuper fauorem & auxilium obtinuerit, tamen poſtea, aliorum etiam Principum conſenſum nactus, noua, ut diximus, electione & coronatione animos eorum ſibi deuinxit, prout teſtatur idem Godofredus *l. c. p. 278.*, cum inquit: *Anno domini MCCVIII - - in feſto S. Martini apud Frankinuort celeberrimus conuentus Principum fuit, & ut plures teſtati ſunt, qui praeſentes aderant, non in pluribus annis tot nobiles, tot potentes inſimul conueniſſe. Vbi Otto Rex nonageſimo tertio loco ab Auguſto ab omnibus in Regem eligitur, diademaque cum lancea imperiali ei aſſignatur.* Chron. Slau. *L. VII. c. XV. p. 739.* non Frankofurti, ſed Halberſtadii alteram Othonis electionem factam eſſe tradit, his verbis: *indicta eſt curia ſatis famoſa in Halberſtadt, ubi conuenerat maxima pars praelatorum & Principum Saxoniae & Turingiae - - - omnes igitur Principes qui conuenerant, ac ſi diuinitus inſpirati, pari voto & vnanimi conſenſu Ottonem in Romanum Principem & ſemper Auguſtum elegerunt in nomine patris, filii & Spiritus Sancti.* De noua itaque Othonis electione dubitare nequit, qui Scriptoribus hisce fidem adhibet. Loci autem circumſtantia, & Scriptorum circa illam diſcrepantia, parum ad rem ipſam confert, ipſum certe factum non tollit. Nouam vero electionem, in tanto praecipue Principum conuentu factam, nouam etiam inaugurationem ſecutam eſſe, & iſtorum temporum mos, & Godofridi, adductum teſtimonium haud obſcure docet. Vt adeo jure optimo inter bis coronatos Jmperatores Otho collocetur: cujus rei cauſa in ſolo Principum conſenſus defectu recte quaeritur.

§. XXII.

Quamuis autem maximo, vt obſeruauimus, fauore Pontificis gauiſus huc vsque fuerit Otho, non diu tamen poſt acceptam Romae coronam maximum ejusdem odium in ſe concitauit, & tantum, vt contra ipſum armauerit, & a

& Friderici II.

D 2 Prin-

Principibus Imperii eligi fecerit Fridericum, Henrici VI filium, ex familia Sueuica, tantopere antea ipſi exoſa, & qui jam viuo adhuc patre deſignatus ad imperium erat; qui vero & ipſe bis eſt coronatus, Moguntiae ſcilicet & Aquisgrani. Audiamus hac de re quid tradant Hiſtorici fide digni. Saepe citatus *Monachus S. Pantaleonis* Godofredvs ad a. 1212. priorem coronationem deſcribit his verbis: *ipſo anno Fridericus Rex Siciliæ - - in Alemanniam venit: vbi a cunctis Principibus & nobilibus ſuperiorum partium lætus ſuſcipitur. - - Moguntiam veniens, in feſto S. Andreæ Apoſtoli celebrem curiam habuit: ubi plurimi Principes ab eo inbeneficiati fidelitatis juramentum præſtiterunt.* Non expreſſe quidem coronationis meminit Godofredus, fateor, ſed tamen iſtiusmodi phraſi utitur, iſtiusmodi etiam circumſtantias refert, quæ nonniſi formalem coronationis actum deſignant, præſertim cum apud alios expreſſa conſecrationis mentio occurrat. Ita enim Chron. Avgvstens. ad a. 1213. loquitur: *Fridericus Rex, conſecratus apud Moguntiam in Purificatione B. Mariæ V., curiam Ratisponae celebrat &c.* & Navclervs *Vol. II. Gen. XLI. ad a. 1214.* hæc habet: *Fridericus, vt ad Regni faſtigia conſcenderet, conuocato Principum conuentu Moguntiae, illo peruenit; vbi cum Principes in vnum conueniſſent, Moguntinus Archi-Epiſcopus denuo Fridericum Regni Germanici corona inſigniuit, qua obtenta, in Sueuiam proficiſcitur.* Denuo Nauclerus Fridericum coronatum eſſe affirmat, & reſpicit forte ad primam ejusdem deſignationem, viuo adhuc patre ejus factam: de qua vero valde dubitamus, vtrum in ſolenni Principum conuentu facta ſit, & inaugurationis nomen ferre poſſit. Nihil ſane hac de re in Scriptoribus antiquioribus huc vsque deprehendimus. Quoniam vero huic coronationi non omnes Germaniae Principes interfuerant, hos prius ad obſequium redigere properauit, & deinceps his etiam præſentibus Aquisgrani denuo inungi ipſe voluit, quod teſtatur

tur ALBERICVS *ad a.1215. Fridericus Rex*, inquiens, *oppugnato per ſeptem hebdomadas oppido, & capto, - - inde obſedit Eſtrivellam, & cepit, & Aquisgrani accedens, honorifice receptus eſt, & diademate totius Teutoniae in feſto Mariae Magdalenae coronatus. Conſumtis aliquot diebus cum gaudio tantae ſolennitati debito equitauit, & impoſuit ſibi ibidem iterum coronam, propter loci & ciuium amorem & reuerentiam.* Et GERM. CHRON. *ap. Piſt. p. 169.* ita loquitur: *Finitis Comitiis Moguntinenſibus* (Fridericus) *recta Coloniam deſcendit, hinc feliciter peruenit Aquisgranum ibique eſt vnctus & coronatus.* Quibus vnicum adhuc addimus GODOFREDI locum *ad a.1215.* dicentis: *in ipſa etiam vigilia Fridericus Rex Siciliae cum quibusdam Principibus & nobilibus totius Lotharingiae Aquisgrani veniens, ſequenti die ſcilicet in feſto S. Jacobi, a Syfrido, Legato Apoſtolicae ſedis, Coloniae Archi-Epiſcopo non exiſtente, in Regem vngitur, & in Regali ſede collocatur.* Tam certum ergo eſt, quam quod certiſſimum, bis Fridericum fuiſſe coronatum, non tam ob alias cauſas, quam quod prius ab omnibus Principibus non fuerat agnitus.

§. XXIV.

Friderici in Regno Germanico ſucceſſor Conradus, jam viuo adhuc patre coronatus erat: hoc autem mox ſublato coepit interregnum magnum, quo nullus Rex fuit in terris, ut ſcriptores loquuntur: & licet nonnulli titulum nomenque Regis geſſerint, vitio tamen creati & aliorum conſenſu deſtituti, vix a quoquam agniti ſunt & adjuti; Rudolpho deinceps Habsburgico, omnium conſenſu electo & diu feliciter imperante. Poſt hujus autem obitum Adolphus Naſſouicus Regnum adeptus, non admodum diu ad gubernacula ſedit: depoſitus namque ſeptimo imperii anno ab Imperii Principibus, & Albertus Auſtriae Dux, Rudolphi filius, in ejus locum electus eſt. Hic Albertus bis ſine dubio electus eſt, prima vice Moguntiae, altera vero Frankoſurti: an vero bis etiam corona-

dubium an etiam Albertus.

 tus

Digitized by Google

tus fuerit adhuc dubitamus. Tranſcribamus igitur Hiſtoricorum verba, quid de illis ſentiamus, poſtea ſubjecturi. Ita vero Chron. Colmar. *Parte altera p. 59. ap. Vrſtis.* priorem electionem deſcribit: *Auctoritate igitur nobis commiſſa* (verba Electorum refert) *Adolfum Regem inſufficientem inuenientes, abſoluimus eum a regiminis dignitate, & Dominum Albertum ducem Auſtriae in Dominum & Regem eligimus Romanorum, & poteſtate nobis tradita ſimiliter confirmamus, & Te Deum laudamus ſolenniter cantauerunt. Cumque Dux praeſens non adeſſet, extra ciuitatem ad tabernacula perrexerunt, & ibi pannum pretioſum ſupra equum projecerunt, regemque deſuper ſedere praeceperunt, & Te Deum laudamus cum magna laetitia decantauerunt.* Alter locus in quo hujus rei mentio fit, eſt in Hist. Austral. *ad a. 1298.* ubi haec leguntur verba. *Tunc Archi-Epiſcopus Moguntinenſis Regem Adolfum per ſententiam juſtam & condignam Moguntiae factum execrat & condemnat, & in vigilia Johannis Baptiſtae facta electione, Albertus Dux Auſtriae in Regem Romanorum eſt electus - - - - - Albertus autem electus, reſignata electione per triduum, apud Frankenfurt in vigilia B. Laurentii ab omnibus Electoribus in Romanorum Regem ſecundario eſt electus, qui ſubito Aquisgrani glorioſe coronatur* cf. etiam quae dicta a nobis ſunt §. VI. Bis ergo Albertum electum eſſe ex allegatis locis ſatis clare patet. Vtrum vero a priori memorata impoſitio ſuper equum formalem inaugurationis actum deſignet, eo magis dubitamus, quo longius iſta actio a conſuetis Germanorum iſtius temporis moribus, aliiſque in inaugurationibus adhiberi ſolitis ceremoniis, recedit. Et ſi vel maxime illud concederetur, aliud tamen dubium ſupereſſet; an ſcilicet ſoli huic Colmarienſi chronographo fides adhiberi poſſit & debeat, dum ceteri Scriptores, fide digniores, ſilent. Aliis itaque iudicium relinquo.

§. XXV.

Caroli tamen quarti

Alberto violenta morte peremto ad Henricum VII. con-

concordi electione imperium deuolutum eſt, & licet poſt hujus obitum Ludouicus & Fridericus ſimul electi fuerint, perque aliquod tempus de imperio certauerint, non tamen Ludouicus, poſtea ſuperior factus, denuo coronatus legitur. Qui vero contra hunc a Papa & pauciſſimis aliis Imperii Principibus, maximam partem Eccleſiaſticis, electus eſt, Carolus, Johannis, Bohemiae Regis, filius, itidem bis, ſed vno in loco, ab vno etiam Praeſule coronam accepit, prima quidem vice viuente adhuc Ludouico Bauaro, altera autem poſt hujus & Guntheri mortem. Cujus rei teſtis eſt HENR. REBDORFF. *in Annal. ad a. 1346.* ubi dicit: *Eodem anno menſe nouembri ſupra ſcriptus Karolus electus in Regem Romanum, coronatus eſt prima corona in oppido Bonna Colonienſis dioeceſis (quia ciuitas Aquenſis eum intromittere noluit) in die B. Catharinae &c.* quod confirmat ALB. ARGENT. *in Chron. p. 138. Eisdem temporibus*, inquiens, *ſcilicet Anno Dn. M CCC XLVI. Dominica ante feſtum Martini Papa in Conſiſtorio publico praedictum Carolum in Romanorum Regem ſolenniter approbauit: quem cum Aquenſes & Colonienſes non recepiſſent, in Bunna ab Archi-Epiſcopo Colonienſi Dominica ante Andreae extitit coronatus.* Hæc de priori coronatione, quibus vnicum adhuc locum addere placet ERDWINI ERDM. *in Chron. Oſnabrug. p. 228. apud Meibom.*, qui ita rem effert: *idem Dn. Walramus Archi-Epiſcopus vna cum aliis Principibus quibusdam in villa Reins ſuper Rhenum ad beneplacitum & votum dicti Clementis VI. elegit in Regem Romanum Karolum IV, & eundem in Bonna vnxit in Regem, viuente adhuc Ludouico IV, cui tunc ciuitas Aquisgrani fidelitatis obſequio fideliter adhaerebat.* Ad alteram Caroli coronationem pertinet teſtimonium CHRON. GERM. *apud Piſtor.* T. II. p. 247. *Carolus venit eodem anno cum ſua conjuge Joanna in vrbem Bunnam ibique eſt ab Archi-Epiſcopo Colonienſi coronatus cum ſua uxore.* Poſt Guntheri obitum hoc factum eſſe cum dicit Auctor, alia vtique a priori eſt coronatio de qua loquitur: id quod etiam tradit HENR.

REB-

Rebdorff. *l. c. p. 445. Rex Carolus communiter recognitus ab omnibus Principibus & ciuitatibus in Alemannia Rex Romanorum cum Regina uxore ſua nuper ducta tranſit Aquisgranum, ubi ſecundo coronatur & Regina ſecum in feſto B. Jacobi per Dn. Archi-Episcopum Colonienſem.* Non Aquisgrani, ut Rebdorffius vult, ſed Bonnae inaugurationem hanc alteram factam eſſe, ex aliorum teſtimoniis nouimus: neque tamen alicujus momenti hanc diſcrepantiam eſſe putamus. Ceterum non ignoramus ſummum noſtri ſeculi Hiſtoricum, cel. nempe Struuium *in Syntagm. Hiſt. Diſſ. XXVII. §. XV. nota** alteram hanc Caroli coronationem negare, partim quia plures Hiſtorici ſilentio eam praeterierint; partim etiam, quod recognitio, expenſarum, ni fallor, Reginae tradita legatur. Verum cum Scriptores a nobis allegati eo ipſo ſeculo, quo haec facta ſunt, vixerint, & non vnius ſed plurium relationes conueniant, praeterea etiam eorum fides non facile ſpernatur, non video quid deſiderari amplius poſſit: praeſertim cum conſtet ſaepe a nonnullis quaedam ſilentio premi, quae tamen ab aliis fide dignis tradita, eapropter non facile in dubium vocantur. Et quod ad alteram rationem attinet, peculiares ſubeſſe potuerunt cauſae cur Reginae tradita fuerit iſta recognitio: ut adeo exinde parum ſententiae contrariae accedere poſſit.

§ XXVI.

ſicque finis imponitur. Vltimus hic fuit Jmperatorum Germanicorum, qui ſaepius coronati ſunt: poſt ejus enim tempora per auream Bullam inprimis, aliasque Imperii leges, iſtiusmodi turbulentae & contrariae electiones ſublatae ſunt, vt unica coronatione contenti eſſe potuerint Germani. Patet vero ex hactenus adductis exemplis iteratas Imperatorum coronationes olim non ignotas fuiſſe, & hinc etiam theſi noſtrae, ſupra praepoſitae, ſatisfactum quodammodo a nobis eſſe. Potuiſſent ſane plura de hoc argumento dici, & quae dicta ſunt fuſius explicari, forte etiam meliora proferri; verum cum partim temporis partim etiam aliarum circumſtantiarum fuerit habenda ratio, longiori ampliorique rerum penſitationi & pertractioni locus relictus non eſt: eaque propter eo certiorem erratorum aut omiſſorum veniam a B. L. nobis pollicemur, & ita finem huic noſtrae opellae imponimus, DEOque pro conceſſis viribus deuotiſſimas grates perſoluimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google